



**R. P. Christophori Gillii, Ex Brigantio Lvsitaniæ, Societatis
Iesv, Et in Conimbricensi Academia S. Theologiae
Professoris; Commentationvm Theologicarvm De Sacra
Doctrina, Et Essentia atque vnitate ...**

Gil, Christovão

Coloniae Agrippinae, 1610

De ratione naturali. cap. 16.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82291](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82291)

De ratione naturali.

CAPVT XVI.

I.

Quod attinet ad rationem naturalem, duæ extremæ sententiæ vitandæ sunt: altera eorum, qui multum rationi tribuunt: altera eorum, qui nihil. Hunc secundum errorem imberbat Felician. in dialog. cum August. in alterum declinat, Consentius in Epistola ad eundem, hic auctoritate, ille ratione de rebus diuinis agi volebat. Nec defunt qui re ipsa vtriusque fautores sint, quidam enim potius in Philosophiæ, quam Theologiæ scholis versari videntur, ita raro de scripturis loquuntur, ita leuiter argumenta ab eis petita tractant, contra vero in Philosophicis excutendis ita funduntur, quasi hæc præcipua sint principia Theologiæ, illa ascititia ac peregrina. Mitto eos, qui, ut est apud Euseb. Augustin. in Epistola ad Dioscorum 56. & Bernard. Epistola 190. rationem autoritati præferentes totam disputationem Theologicam syllogismis absoluunt, & ut ait Diuus Thomas quæst. 2. de Trinitate ar. 3. ea, quæ sunt fidei, volunt, ut includantur sub metis Philosophiæ, Theologiam nihil aliud credentes, nisi quod per Philosophiam haberi potest, quasi rusticitas quidam sit sola autoritate niti, quorum mentem expressit Felicianus citato dialogo cum Augustin. Nihil, inquit, deterius puto, quam quod sic præcepta fidei rudibus traditis, ut non de intelligendarum rerum ratione, sed potius de quadam testimoniorum ostentatione colloquentibus præscribas: quod nunc non dicam fatuum, sed quam rusticum sit, nullus ignorat. Contra vero alij ita rationes naturales ac philosophicas execrantur, ut fidei venena, vel ut superflua additamenta, sine quibus, & fides, & veræ sapientiæ studium, & Theologica scientia consistere per se possint, quod sumunt ex Hieronymo in caput 10. Matt. nolente ut doctores Euangelici humanæ ratiocinationis præsidij nitantur: Quia huiusmodi, inquit, virga & baculus arundineus est, quem si paulum presseris frangitur, & manum perforat incumbens. Quibus verbis duo indicat incommoda, quæ Theologis accidunt ex usu rationis humanæ, alterum est incertitudo veritatis, non enim ratio naturalis est firmum fundamentum illius, quod significatur verbo illo, frangitur, quia scilicet in rebus supernaturalibus ratio naturalis nutat, nec firmiter fulsit intellectum, sed deficit: alterum est erroris periculum,

Felician.

Consentius.

Euseb.

Augustin.

Bernard.

S. Thom.

Felician.

Hieron.

quod sonant illa verba: *manum perforat incumbens*: quia scilicet qui ratione naturali innituntur, non raro falluntur, & hæresum aculeis transfiguntur, ut accidit Pelagianis, Arrianis, & alijs.

Inter extremos errores media sententia scopum veritatis attingit, quam explicat August. Epistola ad Consentium, & in responsione ad Felician. & probat Henricus in su. ar. 16. q. 7. & 8. Ea vero rationem admittit, & principia scientiarum naturalium: non quidem ut dominantur ac præualeant, sed tanquam administras fidei ad indagandam Theologiæ veritatem: quod fusius ostendi tractat. 1. cap. 5. dupliciter autem potest ratio vsui esse Theologiæ: nempe vel ad principia reuelata intelligenda, & probanda: vel ad conclusiones ex ijs deducendas. Etenim scriptura sacra, cum sint admodum obscuræ, frequenter in ipso cortice literæ præferunt quosdam sensus, qui videntur à ratione abhorreere, quorum absurditatem cum ratio intuetur, mouetur ad verum sensum inuestigandum: & in hac re nequaquam est reprehendendus vsus rationis naturalis, imo laudandus. Hoc modo vsus est Nicodemus: nam cum CHRISTVS dixisset Ioann. 3. *Nisi Ioan. 3. quis renatus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei*, ipse rem nõ capiens interrogauit, *quomodo potest, homo nasci cum sit senex*, non de doctrina Christi dubitans, sed de modo natiuitatis: & meruit audire à CHRISTO verum sensum sententiæ illius obscuræ: Similiter Lucæ 1. Beatiſſima Virgo dubitauit de modo, quo virgo cum foret, conceptura esset CHRISTVM. Sed quoniam non semper ratione, ac studio potest verus sensus agnoscere, cedat ratio fidei, & plus æstimet testimonium primæ veritatis, quam proprii intellectus: hanc enim in his euentis captiuare oportet in obsequium fidei: sicut fecit virgo Sanctissima, quæ non audiuit ab Angelo modum, sed auctorem conceptionis, *Spiritus Sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi*, & nihilominus credidit subiciens propriam rationem, ac voluntatem diuinæ autoritati ac beneplacito illis verbis: *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum*. Cum ratio reddi vel percipi non potest, sola autoritas tenenda est, ut bene respondit Augustinus Feliciano, nam cum proposuisset eius obiectionem illis verbis: *sed melius inquit ratione quis, quam testimonio edocetur*. Subdit responsionem: *Quid ergo?*

II.

Augustin.
Henricus.

Luc. 1.

quanta-

quam rationem esse re potes, si partum prae dicas
 Virginis? si redditis oculos non negas caecos? Si
 sepultos redisse ostendis à mortuis: si ergo & in
 comprehensibilis ratio, & veritas proposita est,
 facilius in negotiis fidei testimonius creditur,
 quam veritas inuestigatur. Itaque in ijs, quæ
 rationem superant, submittenda est ratio
 diuinæ autoritati, hoc tamen non obstat
 quo minus ratio etiam adhibeatur, qua
 sententia proposita congruentia, vel ob-
 scuritas expendatur, cum Paul. dicat pri-
 mæ ad Thessalon. 5. *Omnia probate, quod bo-
 num est tenete.* Atque ita in hoc sunt duo
 pericula: alterum si quis ita rationem re-
 jiciat, vt absque delectu, & scrutatione
 veri sensus scripturæ absurdas, & à ratio-
 ne, imò à fide abhorrentes sententias defen-
 dat, quia putat reuelatas: alterum si quia
 sententia reuelata primo aspectu præfert
 speciem absurditatis absque alia veri sen-
 sus indagatione illam rejiciat, vel etiam si
 intelligat, non credat, quia putat repu-
 gnare: Ita Pharisei, & alij ex Iudæis, imò
 ex discipulis Christi cum audissent ab eo
 Ioann. 6. *Nisi manducaueritis carnem filii ho-
 minis, & biberitis eius sanguinem, non habe-
 bitis vitam in vobis,* existimantes Christum
 suppeditarum hominibus carnem suam,
 & sanguinem eo modo, quo animalium
 carnes eduntur, & sanguis à nonnullis
 gentibus ebibitur, absurditatem senten-
 tiæ in eo sensu reputantes scandalizati sunt
 negligentes exquirere, aut expectare à
 Christo modum, quo esset id facturus:
 & idem incredulitatis culpam incurrerunt.
 Alij quoque gentiles aut hæretici intelli-
 gentes veram, & germanam sententiam
 scripturæ, non credunt tamen, quia se-
 cundum suam rationem absurdam, vel
 impossibilem iudicant: quorum sen-
 tentiam ex instituto impugnat Michael.
 Medina libr. 7. de recta in Deum fide ca-
 pit. 15.

III. Porro ea, quæ per se reuelata sunt
 de mysterijs diuinis, non possunt per
 rationem naturalem euidenter ostendi,
 & ob eam causam dicunt sancti Patres
 non suffragari ratiocinationem in ijs,
 quæ sunt fidei, ita Chrysostomus in ca-
 pit. 11. Epistolæ ad Hebræos h. mil. 22.
 & alij. Non est tamen negandum afferri
 posse verisimiles rationes ad plura vtcun-
 que suadenda, vt monet sanctus Thomas
 quæstion. secund. super Boetium de Tri-
 nitate articul. tert. & notat fecisse Augusti-
 num in libr. de Trinitate ad manifestan-
 dam Trinitatem: ipse vero Diuus Tho-
 mas id feliciter præstitit libris contra
 gentes: & multi Patres ex quibusdam

rebus naturalibus resurrectionem mor-
 tuorum probabiliter ostendunt. Ve-
 rum cum eiusmodi rationes nequaquam
 sint demonstratiuæ, non ita vsurpari de-
 bent à Theologo quasi sint præcipua mo-
 tiua, ac fundamenta fidei nostræ: nam
 spectato solo lumine naturæ non cogunt
 intellectum, atque aded irrisui eri-
 mus Philosophis alienis à vera fide, ex-
 istimantibus Christianos ob leues ratio-
 nes credere, quod notauit Diuus An-
 toninus 4. part. §. 11. cap. 4. post Diuum
 Thomam quodlibet. tert. quæstion. 14.
 articul. secund. vbi agit de creatione mun-
 di ex tempore, quam non nulli ratio-
 nibus ostendere conantur: quæ quia
 solui possunt à Philosophis irridendi il-
 lis occasio præbetur: si putent ob eas
 rationes Christianos credere mundum
 incepisse, & non propter reuelatio-
 nem, & verbum Dei, vt ait Paulus ad
 Hebræos 11. *Fide credimus,* & cætera, ad Hebr. 11.
 quem locum expendens Gregorius Nyss-
 senus disputatione de anima, & resurre-
 ctione sic habet: *Non vt opinor hoc dictu-
 rus,* nimirum Apostolus, si quidem per ra-
 tiocinationes id, quod queritur agnosci posse
 putaret. Insuper quoque eadem rati-
 ones ad soluenda probabiliter argumen-
 ta infidelium impugnantium fidei verita-
 tem, vt ait Henricus in summ. articul. 16.
 quæstion. 7. ad tertium: præter hæc alte-
 rum rationis munus in ordine ad fidem
 subijcit Diuus Thomas super Boetium de
 Trinitate quæstion. 2. articul. 3. nempe,
 vt ea, quæ naturali lumine cognosci de
 Deo possunt, & sunt fidei præuia de-
 monstret. Verbi gratia, Deum esse v-
 num, incorporeum, & similia. Hæc
 de vsu rationis naturalis ad principia
 Theologiæ intelligenda, suadenda, tu-
 enda, quem non solum agnouit Duran-
 dus, & alij, qui hoc potissimum mu-
 nus Theologiæ esse crediderunt: sed Pa-
 tres etiam atque Doctores, qui non con-
 temnendam in hac re operam colloca-
 runt, petitis ab ipso naturali lumine ra-
 tionibus ad fidei dogmata illustranda: sed
 vt notat Henricus artic. citat. quæstion. 8.
 & probat ex Augustin. semper autoritas
 debet præcedere, ratio subsequi instar
 pedissequæ.

Alius huius loci vsus, & magis familia-
 ris Theologo est assumptio principiorum
 naturalium ad conclusiones Theologicas
 deducendas. Nam si vtatur opinionibus
 inter Philosophos probabilibus simul cum
 principio aliquo reuelato, acquireret quidē
 opinionem ad materiam Theologicā per-
 tinentem,

S. Anto.

S. Thom.

Nyssen.

Henricus.

S. Thom.

Henricus.

Augustin.

inentem, non vero habitum Theologicum, ut dictum est in superioribus: si vero simul cum principio aliquo fidei assumat principium aliquod naturale per se notum, vel conclusionem in aliqua scientia demonstratam, tunc deum conclusionem ex ijs deductam præstabit assensum verè Theologicum, quo habitus eiusdem generis producat, vel augeatur, ut est communior sententia Theologorum citato loco explicata. Ita ex hac parte non repugnat principium naturale per se concurrere ad assensum Theologicum, non quidem ut ea, quæ credimus, clara intelligentia capiamus, ut ait Henricus in sum. art. 16. quæst. 7. alludens ad suam opinionem, sed ut ad eorum, quæ sunt mediate reuelata, formalem explicitamque notitiam perueniamus. Hoc in dubium verti potest an conclusiones Theologicæ per se, ac necessario pendeant ex huiusmodi principiis naturalibus, an vero dari Theologia possit absque ope à scientiis naturalibus emendicata. Diuus Thomas 1. part. quæstion. 1. art. 5. ad secundum, & in secundo scripto quæstio. 2. prologi articulo. 2. ad secundum, & Henricus in summa art. 7. quæst. 9. sentit Theologiam non sumere principia ab alijs scientiis tanquam superioribus, sed uti ijs tanquam inferioribus & ancillis, & hunc ipsum vsum non esse propter defectum, vel insufficientiam eius, sed propter defectum intellectus nostri: qui ex ijs, quæ per naturale lumen cognoscuntur, facilius manuducitur in ea, quæ sunt supra rationem, & in Theologia traduntur. De superioritate Theologiæ ad alias scientias iam dictum est supra, nunc considerandum an indigeat scientiis naturalibus, & eorum principiis. Thomistæ communiter non agnoscunt ullam in Theologia indigentiam principiorum naturalium. Probat, primo quoniam in quavis scientia sunt propria principia, à quibus, & non ab extraneis procedere debet: Theologia est scientia per se ab alijs distincta: ergo non debet sumere ab ijs sua principia. Secundò, quoniam Theologia est sapientia, & superior omni scientia naturali, multò magis quam Metaphysica: hæc autem non eget principiis scientiarum naturalium: ergo nec Theologia. Tertio, si Theologia per se penderet à principiis naturalibus, fieri nullo modo posset, ut habeatur assensus Theologicus absque assensu eorum evidenter: hoc autem non est necessarium: ergo neque id, ex quo sequitur verum. sequela maioris ostenditur: quoniam as-

S. Thom.

Henricus.

ensus conclusionis per se pendens ex principiis, nulla virtute haberi absque illis potest, ab ijs enim sumitur ratio formalis motiva: ideoque, si principia naturalia requiruntur per se ad assensum Theologicum, is sine illis esse nequaquam poterit. Assumptio vero est manifesta: nam si Deus eadem principia re vellet inferuire, multò melius poterunt discursui Theologico fide sola credita, quam si lumine naturali intellectus euidenter agnoscantur.

Principia naturalia, de quibus est sermo, considerari possunt vel materialiter in se quoad solam veritatem obiectivam, vel formaliter, pro ut hoc, vel illo genere assensus approbantur: si priore modo considerentur, per se ac necessario requiruntur ad assensum conclusionis ex ijs deductæ: Fundamentum est, quoniam omnis assensus non immediatus, & veritas propositionis mediatæ per se pendet ex veritate principij, & ab assensu eius præstito: assensus Theologicus, utpote discursivus, non est immediatus: necessario ergo pendet ex veritate principij materialis, ex quo deducitur, & ex assensu in illud cadente, exempli causa consideremus hanc propositionem: *Christus habet verum corpus humanum, non phantasticum*, quatenus solum habetur per discursum ex hac; *Christus est homo*, nisi subsumatur principium illud naturale: *Homo constat vera carne, & corpore humano*, nequaquam concludi poterit: atque adeò si principium hoc naturale per impossibile non esset verum, ex vi huius propositionis reuelatæ, *CHRISTVS est homo*, nequaquam inferretur illa: *CHRISTVS constat vero corpore humano*. Quare assensus, qui fertur in illam, ut deductam ex illo principio reuelato, pendet etiam necessario ex veritate principij illius naturalis, pro ut terminat aliquem assensum certum, ita ut non aliter per actum Theologicum agnosci possit, si vero principia eadem considerentur formaliter prout substant assensibus evidenter eiusdem rationis cum ijs, quos habent Philosophi naturales, siue immediatè ex terminis, siue per demonstrationem, per se quidem concurrunt ad gignendum assensum Theologicum, quando assumuntur à Theologo, non tamen omnino necessario, ita ut is aliter produci nequeat. Prius dictum constat, quoniam effectus in actu requirit causam in actu: atque adeò effectus per se necessario pendens ex

V.

dens ex aliqua coordinatione causarum requirit causas actu coordinatas, & per se ipsum concurrentes, licet aliqua ipsarum suppleri posset per concursum alterius: quo pacto ad generationem prolis per se concurrunt mas & foemina, licet concursus, siue coordinatio horum in particulari non sit necessaria ad generationem eiusdem speciei: assensus autem discursus per se pendet à duabus premis- sis secundum formam syllogisticam dispositis, ergo quamvis admittamus assensum naturaliter euidentem vnius principij discursus Theologici, sub earatione formali non esse necessarium, & suppleri posse per assensum fidei circa idem principium materiale, nihilominus quando id actu assumitur ab assensu euidente, pprrie ac per se concurrunt ad productionem assensus Theologici. Non concurrere autem necessario, ita vt aliter suppleri nequeat, constat ex probatione assumptionis tertij argumenti, nempe, quia si idè principium reuelaretur, & sub assensu fidei assumere- tur ad eius conclusionis deductionem, adhuc gigneret assensum Theologicum, quod corroboratur: nam tunc ille discursus esset circa idem subiectum Theologiae materiale, ac formale: noua enim reuelatio principij naturaliter euidentis non extrahit illud à ratione formali motiua Theologiae, imò multo magis secundum eam perficit: ergo gigneret actum Theologiae: atque adeò principium idem, quatenus sumitur sub assensu naturaliter euidente, non est omnino necessarium ad Theologiam: sed secundum quid, & pro hoc statu, quo non omnia ex lumine diuino agnoscimus.

VI.

Et hac sententia est D. Thomae, & eorum, qui negant vsum aliarum scientiarum necessarium esse Theologiae: nam assumptio principiorum materialium ad illas pertinentium sub lumine reuelationis, non est vsum earum: assumptio vero eorundem sub ratione formali ipsarum, & lumine rationis euidente non est necessaria simpliciter, vt patet ex dictis. Quamquam ego crediderim Diuum Thomam, & Henricum non loqui ad hunc sensum, scilicet quando vna solum propositio naturalis assumitur, sed quòd totum mediū est naturale: vt patet ex eo, quod Diuus Thomas subdit, vsum scientiarum in Theologia dari, non propter insufficienciam eius, sed propter defectum intellectus nostri, qui ex ijs, quae per lumen naturale cognoscuntur, facilius manuducitur in ea, quae sunt supra rationem: quibus verbis indi-

cat ex parte Theologiae reuelatae non esse defectum principiorum, aut indigentiam, vt ea sumat à scientijs naturalibus: idem fere docet Henricus in summ. *S. Thom.* artic. 16. quæstion. 7. in solutione ad argumenta, quod solum verum est, si intelligatur de medijs adæquatis, & completis, quæ Theologia non necessario mutuatur à scientijs naturalibus, sed ijs interdum vtitur ad manuductionem: quoniam per se non faciunt assensum Theologicum, sed disponunt intellectum, vt modo connaturali accommodatius percipiat demonstrationes Theologicas: idque etiam ex eo patet quod principia, ex quibus per se infertur conclusio, non proprie dicuntur manuductiones, sed per se causæ assensus. Verum quocumque modo Diuus Thomas intelligatur, non est contra traditam doctrinam. Ad primum argumentum respondet Diuus Thomas citata quæstione 2. super Boet. artic. tert. ad secund. scientias, quæ habent ordinem inter se, posse vicissim alteram principijs alterius vti, quomodo se habent scientiæ posteriores respectu principiorum: nam metaphysica, quæ quoad acquisitionem est posterior alijs scientijs naturalibus, vtitur ipsorum principijs, & conclusionibus, quando procedit à posteriore: eodemque modo Theologia, quia supponit scientias naturales, sicut fides & gratia supponunt naturam, potest vti principijs ipsarum, vel conclusionibus in ijs demonstratis. Ex quo etiam patet solutio ad secundum, assumit enim falsum: nempe Metaphysicam non vti aliarum scientiarum principijs, aut conclusionibus: sed quoniam cum metaphysica procedit à priore via accurata cognitionis, nihil sumit à scientijs naturalibus, responderi secundo potest diuersam esse rationem in Metaphysica, ac Theologia: nam Metaphysica, cum agat de ente in communi, ratione subiecti non subest alteri scientiæ, cuius principia contracta ad propriam materiam vsurpare possit, Theologia vero agit de subiecto particulari primario, & de secundario per multa rerum genera disperso: & ideo possunt illi vsum esse principia aliarum scientiarum quæ sunt de subiectis, sub quibus continentur ea, de quibus ipsa agit. Exempli causa quia Deus continetur sub ente, ad demonstranda aliqua diuina attributa vtitur principijs Metaphysicis, quia Christus continetur sub homine: ad demonstrandas de illo passiones naturales hominis vtitur principijs Philosophiæ naturalis, & sic in

ceteris.

cæteris. Ad tertium distinguenda est maior propositio: & si intelligatur de causa per se omnino necessaria, & vnica concedatur, sed in eo sensu est falsa assumptio, vt constat ex dictis: si vero intelligatur de causa per se non omnino necessaria, neque vnica negetur: Ad probationem. Respondetur rationem formalem non sumi ex vno, vel altero principio, sed ex duobus simul, ex quibus coalescit vnum integrum medium, & vna ratio formalis completa: at verò, si sit vnum saltem principium reuelatum, semper medium manet inuident, ac reuelatum: & idcirco mutatio alterius principij de non reuelato in reuelatum nõ mutat inuidentiam connexionis, & motiui, vt dictum est tractat. 3. cap. 5. & consequenter etiam non mutat speciem assensus per eiusmodi motiuium producti.

VII.

Hinc etiam patet responsio ad auctoritatem D. Hieron. & reliquorum Patrum antiquorum, qui parum aut nihil rationi naturali tribuere videtur in ordine ad doctrinam reuelatam: non enim excludere volunt moderatum vsum illius sub regula fidei: sed duo præcipue intendunt, alterum est, ne fidei dogmata ad rationis trutinam expédamus, quasi ea solum probanda sint, quæ noster intellectus rationis lumine, ac discursu naturali vera iudicari: quod absurdum est, quia reuelata sunt ordinis supernaturalis, ac diuini, & ita fugiunt perscrutationem, & comprehensionem intellectus humani, nisi supernaturali fidei lumine collustreretur: alterum vero est, ne fidei, ac religionis nostræ fundamentum in ratione naturali reponamus: quasi completa ratio credendi, vel etiam medium integrum discursus Theologici haberi possit ex naturali lumine intellectus, & hoc indicauit Hieron. cum rationem naturalem appellauit baculum arundineum, qui frangitur: nõ, si quis ratione sola niti velit ad dogmata fidei, & Theologiæ tuenda ex fragilitate motiui resiliat à veritate, vt contigit Origeni teste D. Tho. vbi supra opusc. 70. super Boet. de Trinit. Berengario, & alijs hæreticis: qui plus iusto tribuentes propriæ rationi, ac discursui, à fide naufragauerunt: non quod vera philosophia fidei aduerfetur, sed error, & abusus eius, vt ibidem notat D. Tho. His autem duobus scopulis euitatis non reiiciunt Patres vsum rationis naturalis, & principiorum, quæ naturali lumine innotescunt: nam ipsi quoque ad res Theologicas explicandas post auctoritatem fidei rationes etiam vsurparunt, vt videre est apud August. in lib. de Trinitate. Anselmum, Damascenum, & alios.

S. Thom.

TRACTATVS VLTIMVS, DE SVPPO- SITIONE QVID NOMINIS & quod sit Deus.

ANTE cuiusvis scientiæ exordium supponendum docet Aristotel. *Aristotel.* ib. 1. Poster. initio de subiecto quid sit & quod sit: hoc est, quæ sit notio, huc ratio significata per nomen, & quod existat. Nam si significatio nominis ignoretur, frustra impendetur labor: & idcirco Philosophus lib. 4. Metaphysic. tex. 10. monet vt disputaturi de re aliqua conueniant primo in significatione terminorum, quibus vtuntur: alioquin nec vnus ad se, nec ad alterum potest esse sermo, si vero subiectum sit res fictitia carens existentia, scientia quoque inanis, & comentitia erit. Sufficit autem tradere notionem nominis vulgarem vsurpatam cõmuniter apud oēs doctos, & indoctos, qui de Deo cogitant, vel loquuntur, nam de accurata libro secundo agendum est. Quod vero attinet ad ipsum quod est, non probandum, sed supponendum potius erat esse Deum ex fide, ac naturali lumine rationis, cuius ductu Philosophi, vt autor est Apostolus ad Rom. 1. in veri numinis agnitionem perueniunt. Verum quia est primum fidei, ac Theologiæ fundamentum, & non desunt insipientes, qui dicant in corde suo non est Deus, Psal. 13. imo & proterui, qui id ipsum voce pronuntient, oportet id ex naturæ principijs ostendere: quoniam vero per se nota non solent probari, sed supponi, prius indagabo vtrum Deum esse sit per se notum, an vero ratione aliqua demonstrabile.

Dei nomine significatur id, quo maius aut melius cogitari nequit, id vero esse in rebus, omne fere hominum genus agnoscit.

CAPVT I.

NOMEN Dei, quantum ex omnium gentium monumentis licet conijcere apud omnes vsurpatum est iuxta vniuersumque: i. homines omnes autem eo nomine significari intelligebant rem aliquam superioris ordinis, & ab ijs rebus, quas agnoscimus segregatam, impermistam, in se ipsa existentem, à quouis alio principio independentem, denique optimam, quæ melius cogitari nihil possit. Recte enim Richard. de S. Victore li. 1. de Trin. ca. 20. Contingere videtur, inquit, quædam quædam dote naturæ, quod cuncti pene tam eruditi, quàm minus eruditi solent habere

I.

Richard. de S. Victore